C Aridæ ulcera explent, & cum melle purgant. Nudata oſſa carne operiunt. Doloribus capitis cum aceto & roſaceo utiliter illinuntur. Lentigines, cutis in facie uitia cum Elleboro albo, & duabus mellis partibus illitæ emendant. Peſsis, malagmatis & acopis miſcentur. In uniuerſum magni uſus ſunt.

EX PAVLO.

Iris tuſsi utilis. Humores in thorace nõ facilè excreabiles extenuat. Torminibus medetur, ulceraq; ſordida expurgat. Cum muſsa pota aluum ducit.

EX PLINIO.

Infantibus eam circunligari ſalutare eſt. Dentientibus præcipua eſt & tuſsientibus, tinearúmue uitio laborantib. inſtillari. Cæterum ulcera purgat, capitis præcipuè, ſuppurationes ueteres. Aluũ ſoluit duabus drachmis cum melle. Tuſsim, tormina, inflationes, pota. Lienes ex aceto. Contra ſerpentiũ & araneorũ morſus, ex poſca ualet. Contra ſcorpiones, duarum drachmarũ pondere in pane uel aqua ſumitur. Contra canum morſus ex oleo imponitur. Et contra perfrictiones. Sic & neruorũ doloribus. Lumbis uerò & coxendicibus cum reſina illinitur. Vis ei concalfactoria. Naribus ſubdita, ſternutamenta mouet, caputq; purgat. Dolori capitis cum Cotoneis mâlis aut Strutheis illinitur. Crapulas quoq; & orthopnœas diſcutit. Vomitiones cit, duobus obolis ſumpta. Oſſa fracta extrahit, impoſita cum melle. Ad paronychias farina eius utunt. Halitus oris cõmanducata abolet, alarumq; uitia. Succo duritias omnes emollit. Somnum conciliat, ſed genituras cõſumit. Sedis rimas & condylomata, omniaq; in corpore excreſcentia ſanat.

DE HIERACEO. CAP. CXIX.

D

NOMINA.

HIERAKION, ἡ σογχίτης Græcis, Hieraceum Latinis dicitur: officinis inuſitatum. Germanicè, quum aliud nomen expiſcari non potueramus, Habichtkraut appellauimus, ad græcam alludentes appellationem: neque enim alia ratione Græci hanc herbam Hieraceũ nominarunt, niſi quod accipitres, quos illi ἱέρακας dicunt, ſcalpendo eam, ſuccoq; oculos tingendo, obſcuritatem cum ſenſere diſcutiant. Sonchites autem dicta eſt, quod Soncho nõ admodum diſsimilis ſit, maximè quod ad eius circunferentiam & extremam partem, in qua caules & flores ſunt, attinet. Hæc enim & illa cõcauo, & lacteum ſuccum emittente caule, luteisq; floribus eſt. Apuleius Lactucam ſyluaticam appellat. Plinius quoque libro uigeſimo, cap. ſeptimo, ut alij omnes ferè, in Lactucarum ſponte naſcentium numero, propter ſimilitudinem, Hieraceon hoc habet. Quàm autem inuicem ſimiles ſint Hieraceum & Lactuca ſylueſtris, utriuſq; icones & effigies collatæ monſtrabunt.

Hieraceum unde dictum.

Sonchites.

Lactuca ſyluatica.

GENERA.

Hieracij duo ſunt genera, maius nimirum & minus. Maius germanicè groß Habichtkraut, minus autem Klein Habichtkraut nominatur.

FORMA.

Hieraceum maius.

Hieraceum maius caulem habet aſperum, modicè rubentem, ſpinoſum, cóncauum. Folia per interualla rariuſculè diuiſa, Soncho per circunferentiam ſimilia. Flores in oblongis capitulis luteos. Quæ deſignatio prorſus hanc quam pictam damus herbam exprimit. Siquidem caulem emittit ſcabrum, ſubrubrum, ſpinulis horrentem, cauum, folia ex interuallis & rarò laciniata, Sonchi foliis non diſsimilia. Flores in longiuſculis capitulis luteos. Minus Hieraceum folia ex interuallis per

Hieraceũ minus.

HIERACEVM MAIVS.